



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. IV. De illis, qui habent jus, sive potestatem postulandi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

concorditer factam, & à se petitam teneatur superior, quamvis admittere teneatur ex iustitia electionem legitimè factam, & legitimè electum confirmare, cum postulatio gratiæ, electio iuri innitatur, ut dictum: neque tamen etiam nego, quòd ex debito officii postulationem admittere teneatur, si necessitas, aut utilitas Ecclesiæ exigere videatur, cum ex officio illi incumbat talis Ecclesiæ utilitati, aut necessitati providere.

§. IV.

De illis, qui habent jus, sive potestatem postulandi.

OMnes, qui eligere possunt, jus etiam postulandi habent *c. bonæ 4. §. ceterum h. t.* eò quòd postulatio in supplementum electionis concessa sit, & tanquam accessorium regulariter non acquiratur sine jure eligendi, nisi extraneus v. g. aliquis ex mera gratia ad electionem Prælati admittatur, & jus postulandi nondum legitimè præscripserit, quo in casu potest talis à postulatione excludi. Ut autem postulatio à superiore admitti possit, debent duplo plures postulare, si facta sit in discordia, ita ut aliqui Capitularium elegerint aliquem, alii postulant aliquem *c. scriptum 40. de Electione* (meritò enim plus requiritur ad extraordinaria, uti est postulatio, quam ad ordinaria, uti est electio) ita ut si in tali casu à majore quidem parte facta fuerit postulatio, à minore verò electio, penes superiorem sit, confirmare num velit à minore parte electum, an majoris partis postulationem admittere: Si verò nulla electio intervenit, sed tam hi, quam illi

diversos postulaverint, sufficit ad postulationem alicujus admittendam, si à majore parte Capituli postulatus sit, ut probatur ex *c. postulationem 5. h. t.* cum in tali casu non sit pro una via providendi, major ratio, quam altera. Et quamvis eligentes variare non possint post factam legitimè electionem, & ab Electo admiffam, cum per talem electionem, & admissionem huic jus fuerit acquisitum, quòd adimere ipsi per variationem amplius non possunt, qui elegerunt; possunt tamen variare, qui postulationem alicujus fecerunt; modò postulatio talis Superiori nondum fuerit præsentata, ita ut ante talem præsentationem alium postulare possint sine præjudicio illius, quem prius postulaverunt, tum quod per postulationem talem nullum adhuc jus postulato acquisitum fuerit, tum quòd superiori, cui postulatio jam præsentata fuit, videatur illud, si post præsentatam postulationem priorem, alia iterum tentaretur, quæ omnia habentur in *c. c. bonæ 4. h. t.*

§. V.

De pœnis postulantium indignum.

Qui scienter ad Prælaturam postulant indignum propter vitium, seu defectum indispensabilem, pro ea vice, ipso jure seu facto, privati sunt potestate postulandi, & eligendi, *Gloss. in c. 1. v. privare h. t. c. 2. eod.* quæ enim pœna statuta est contra indignum scienter eligentes, *c. cum in cunctis 7. §. fin. de Elect.* extenditur in *c. 1. h. t.* ad scienter indignum postulantes: quam pœnam etiam incurrunt illi, qui postulationem personæ indi-